



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

308. Christus à cruce matrem, & discipulum alloquitur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

I. **U**Nus de his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac teipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil malignavit. *Luc. 23. v. 39. 40. 41.*

II. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. *Luc. 23. v. 42.*

III. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. *Luc. 23. vers. 43.*

MEDITATIO CCCVIII.

Christus è cruce Matrem, & discipulum alloquitur.

I. **S**tabant juxta crucem Iesu mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. *Ioan. 19. v. 25.*

II. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. *Ioan. 19. vers. 26.*

III. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Ioan. 19. v. 27.*